



Die Königswahl

- 535 Sacri imperii electores, dum ad electionem procedere volunt futuri imperatoris, die statuto cum omni humilitate et devotione maxima ad divina convenient spoliantes se omni peccato, ut in medio (5) eorum sit Christus dominus et invocata gratia sancti spiritus. Post introductio nem devotam agendae rei tractent de pluribus, qui ad imperium dispositione extrinseca et int- rinseca tantae maiestatis digni esse possint. Et ad hoc, ut absque omni timore, liberrime et se- cretissime ipsa electio celebretur, praestitis iuramentis supra altare (10) domini de eligendo iu- sto liberae conscientiae iudicio meliorem faciant per unum notarium nomina omnium, de qui- bus tractarunt, in cedulas praecise aequales redigi, et semper unum nomen in una cedula tan- tum, et in fine illius nominis distincte signetur numerus per 1, 2, 3, quousque perveniat ad numerum personarum, de quibus (15) in tractatu mentio facta fuit, quod digni reputarentur.
-
- 536 Puta sunt decem comperti per Alemanniam, qui digni visi sunt, inter quos communi iudicio dignior eligi debet. Ponatur itaque in una cedula nomen unius tantum, et sub illo nomine vel in eius latere numerus ab uno usque decem, et dentur cuilibet electori decem cedulæ (5) de- cem nominum. Acceptis itaque cedulis per electores trahat quisque ad partem solus et secrete cum secretario, si litteras ignorat, et positis ante se omnibus decem cedulis legat cuiuslibet no- men.
- 537 Et tunc in dei nomine secundum suam conscientiam ponderet, quis inter illos omnes minus idoneus existat, et signet cum puncto incausti supra primum numerum simplicem longum punctum et post hoc iudicet, quis post illum minus idoneus, et signet secundum (5) numerum cum puncto longo simplici et sic continue, quousque veniet ad optimum suo iudicio, et ibi si- gnabit decimum numerum aut illum numerum, qui numero personarum corresponebit.
- 538 Et est bonum, quod de eodem incausto et per aequales pennas et aequalia simplicia longa aut brevia puncta, secundum quod concordabunt, signent, ne cuiusquam signatura pree ceteris no- tari possit ad hoc, ut libertas maior in electoribus et pax inter omnes conservetur.



- 539 Factis itaque illis signaturis deferat in manu cedulas suas quisque ex electoribus, et proiciat unusquisque suas manu propria in saccum vacuum in medio electorum pendentem. Quibus in sacco positis advocetur sacerdos, qui missam celebravit, et quidam computista (5) habens tabulam, in qua secundum ordinem sint illa nomina, ponamus decem, eligendorum. Et sedens in medio electorum sacerdos extrahat de sacco seriatim, ut manibus occurrunt, cedulas et legat nomen et numerum signatum. Computista vero in latere illius nominis signet numerum, et ita fiat de omnibus. Quibus expletis colligat per additionem (10) computista numeros cuiuslibet nominis. Et ille erit tunc imperator, qui maiorem numerum habuit.
- 540 Et secundum illam practicam infinitis fraudibus obviatur, et etiam nulla practica sinistra locum habere posset, nec poterit excogitari sanctior, iustior, honestior et liberior eligendi modus, secundum quem impossibile erit, si secundum conscientiam eligunt, quin ille (5) praeficiatur, qui ex omnium iudicio simul collecto melior iudicatur. Et non poterit alias modus securior, immo ex quo illa infallibilis sententia haberi posset, inveniri, quoniam omnes comparationes omnium personarum et omnes mixturae et syllogismi per unumquemque ex electoribus factibiles in hoc modo includuntur, quem ego non (10) absque magno studio etiam non potui invenire. Et credas, quod perfectior inveniri nequit.
-
- 541 Verum, ne quis ex electoribus propria affectione decipiatur, habeatur ista cautela, quod, si est aliquis aut plures, qui ex laicis communi tractatu inter eligendos conscripti sunt, cedula proprii nominis eidem non detur, sed aliae omnes, illa dempta, ut tollatur occasio suspicionis, (5) quae ipsum optimum omnium aestimare posset maiorem numerum nominis sui signando. Hoc solum dempto regula praescripta in omnibus servetur, et habebitur electio, cui melior non poterit inveniri.